Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36551
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

corpus iam gloriae conferre videtur spiritui quod et infirmum et mortale constat
ipsi non mediocriter valuisse. O quam verum locutus est qui dixit diligen
tibus deum omnia cooperari in bonum. Valet deum diligenti animae corpus suum
infirmum, valet mortuum, valet et resuscitatum. Primo quidem ad fruc
tum penitentiae, secundo ad requiem, postremo ad consummationem. Me
rito sine illo perfici non vult, quod in omni statu in bonum sibi subser
vire persentit. Bonus plane fidusque comes caro spiritui bono, quae ipsum
aut si onerat iuvat, aut si non iuvat exonerat, aut certe iuvat
et minime onerat. Primus status laboriosus sed fructuosus, secundus
ociosus sed minime fastidiosus, tercius et gloriosus. Audi et sponsum
in canticis ad perfectum hunc trimodum invitantem. Comedite in
quit amici et bibite, et inebriamini karissimi. Laborantes in corpore
vocat ad cibum, iam positos sine corpore quiescentes ad potum invitat,
resumentes corpora etiam ut inebrientur invitat, quos et vocat karissimos,
nimirum caritate plenissimos. Nam et in ceteris quos non karissimos sed ami
cos appellat differentia est, ut hi quidem qui in carne adhuc gra
vati gemunt cari habeantur pro caritate quam habent, qui vero iam so
luti carnis compede sunt eo sint cariores quo et promptiores atque
expeditiores facti ad amandum. Porro prae utrisque merito
nominantur karissimi qui percepta iam secunda stola in corporibus utique cum
gloria resumptis tanto in dei feruntur amorem liberiores et alac
riores, quanto et de proprio nil iam residuum est quod eos aliquatenus vel sol
licitet vel retardet. Quod quidem neuter superiorum statuum ven
dicat, cum et in priori corpus cum labore portetur, et in secundo quia non
sine aliqua proprietate desiderium expectetur. Primo ergo fidelis anima
comedit panem suum, sed heu in sudore vultus sui. In carne
quippe manens adhuc ambulat per fidem, quam sane operari
per dilectionem necesse est, quia si non operatur mortua est. Porro ipsum opus
cibus est dicente domino: Meus cibus est ut faciam voluntatem patris mei. De hinc
carne exuta iam pane doloris non cibatur, sed vinum amoris